



## † R. P. Achilleus Delaere (1868-1939)

*(Vice-Prov. de Lwów)*

Die 12 Iulii anni currentis, quo die Ecclesia ritus byzantino-slavi festum SS. Apostolorum Petri et Pauli agit, hora noctis 3.10 in nosocomio *Queen Victoria* urbis Canadensis *Yorkton* post brevem infirmitatem in osculo Domini mortuus est R. P. Achilleus Delaere, primus sodalis Congregationis qui a ritu latino ad orientalem transiit, et fundator atque organisator nostrae in Canada Missionis Ucrainicae. Morienti adstiterunt A. R. P. Rector Stephanus Bachtalowsky, pius actus suggerens, et R. P. Romanus Chomiak, impertita ultima absolute commendationem ani-

mae recitans, et C. F. Onysymus.

In exsequiis diei 14 Iulii Ordinarius Ucrainorum Canadensium, Exc̄mus Vladimirus Basilius Ladyka, O. S. B. M., et Archiepiscopi S. Bonifacii delegatus, R. D. Ios. Ad. Sabourin, orationes funebres pronuntiarunt. Exc̄mus Episcopus Saskatoonensis G. Murray, C. SS. R., miserat confratrem R. P. Leonem Sexsmith. Praeterea 22 alii sacerdotes, sat multae religiosae et fideles plurimi funus lugubre praesentia et suffragiis suis cohonestarunt.

Achilleus Delaere in dioecesis Brugensis pago *Lendeledé* d. 17 Apr. 1868 natus est parentibus optimis. Duo fratres eius facti sunt sacerdotes saeculares, et soror statum religiosum elegit. Ipse in nostra religione vota emisit Trudonopoli d. 6 Oct. 1889 atque d. 4 Oct. 1896 Pulchriungi sacerdotii characterem indelebilem recepit.

Mense Iulio a. 1898 Archiepiscopus S. Bonifacii, Ill̄mus A. Langevin, Bruxellas venit petatum a Redemptoristis Belgis, ut numerosis Slavis, qui e Galicia in suam archidioecesim immigrarant, subvenirent. Solus tunc temporis P. Delaere huic formae apostolatus destinatus est et primum in domum *Mościska* missus ad addiscendam linguam Polonicam.

Die 14 Sept. anni subsequentis una cum R. P. Iosepho Coppin († 1915) Liverpoolii navim *Scotsman* conscendit in Canadam iter facientem. Per tres dies et quatuor noctes mare fuit procellosum; die vero 21 Septembris, circa horam 4 matutinam, horrendum accidit naufragium, carina fortiter scopulis insulae *Belle-Isle* impacta. Infortunium accuratius hic Latine describere et enarrare opus non est, siquidem relatio Flandrica legi potest in *Gerardusbode* 1899-1900, Gallica autem in *Sainte Famille* 1900.

Ex dicta insula prope continentem Americanum sita navis mercatoria *Montfort* naufragos nostros d. 28 eiusdem mensis Quebecum portavit, unde postridie Pulchripratum se contulerunt, et P. Delaere d. 11 Oct. 1899 hospitium *Brandon* provinciae Manitoba petiit. Alia novi apostolatus sui centra mox in *Shoal-Lake* et in *Huns Valley* invenit. In hoc ultimo loco habitabant 40–45 familiae Ucrainicae, 40 Polonicae, 13 Hungaricae, quibus omnibus evangelizandis iuvenis missionarius animarum zelo ardens pro viribus adlaborabat.

Cur P. Delaere paulatim Ucrainis, prae ceteris ope spirituali egentibus, fere totum sese dedicaverit, nuper iam exposuimus.<sup>1</sup>

Die 11 Aug. 1906 tandem aliquando a S. Sede veniam obtinuit transeundi ad ritum byzantino-slavum, quo ut intiaretur statim Winnipegam petiit, et aetate 38 annorum docilis discipulus monachi Basiliani Antonii Strocky factus est. Primam Missam novo ritu iam d. 26 Sept. eiusdem anni celebravit.

Novum apostolum labor manebat arduus. Iter ei saepe faciendum erat perlongum, usque ad 50 et 60 milliaria Anglica, modo raeda inter magnos calores aestivos, modo traha inter tremendos hiemis Manitobanae rigores. Habitaculum multoties inveniebat in aliqua casa stramento tecta, et quamdiu colonia Ucrainorum nondum aedem sacram possidebat, in tali humili tugurio missionarius etiam Sacrum litabat, parvulos baptizabat confirmabatque, matrimoniis assistebat. Hora erat multoties 4<sup>a</sup> vel 5<sup>a</sup> p. m., quando aliquid cibi potusque gustare poterat. Adde innumeras difficultates in ordinandis novis paroeciis, in stabiliendo subiecto iurium quoad loca sacra, in debellandis haereticis vel « falsis fratribus » vel catholicis ad schisma tendentibus.

Fortis athleta Christi etiam calamo usus est, scribens et publici iuris faciens suum *Mémoire sur les tentatives de schisme et d'hérésie au milieu des Ruthènes de l'Ouest Canadien* (Québec 1908, p. 48 in 8°), quod opusculum sequenti anno in Winnipeg etiam Anglice prodiit. Ibi ostendit, quibus mediis falsi pastores, a Presbyteranis callide adiuti, utantur ad avitam fidem in Ucrainis radicitus extirpandam; et cum monachi Basiliani et Redemptoristae soli perficiendae operae tam ingenti impares sint, obsecrat in fine Seminariorum Canadensium alumnos, ut et ipsi ovibus in tanto aeternae salutis discrimine versantibus auxilio veniant.

Ad obtinendos Ucrainis Canadensibus pastores zelantes et bene formatos, P. Delaere auctor fuit ut qui e Galicia advenerant clerici Basiliani in Seminario Mariopolitano sub Sulpicianis studiis vacare possent.

Idem nullum non movit lapidem ut in ipsa Ucrainorum Canadensium patria, in Galicia orientali, una alterave domus nostra ritus orientalis con-

<sup>1</sup> *Analecta* 1939, fasc. 3, p. 141 ss.; fasc. 4, p. 212.

deretur. Quem in finem a. 1912 proficiscitur in Belgium indeque cum Pl. R. P. Provinciali Van de Steene Leopolim ad Exc̄m̄ Metropolitam A. Sceptycky. Vix Yorktonium redierat, cum a. 1913 denuo iter transtlanticum suscipit, ut Romae illi Superiorum nostrorum conventui interesset, in quo praeter alia haec duo stabilita sunt: a) In Galicia per Provinciam Belgicam peculiaris Missio pro Ruthenis constituatur, unde labentibus annis hodierna Vice-Provincia de Lwów nata est.<sup>1</sup> b) In Yorkton altera erigatur domus et ecclesia pro solo ritu orientali.<sup>2</sup>

Itaque P. Delaere, in Canadam redux, statim a. 1913 in *Yorkton* collegium et a. 1914 ecclesiam B. M. V. de Perpetuo Succursu a fundamentis excitavit, a. 1916 conventum religiosarum eiusdem ritus orientalis cum schola paroeciali, a. 1920 nostram scholam apostolicam seu iuvenatum, a. 1922 propriam typographiam.

Ipsi quoque debetur fundatio hospitii *Komarno*, unde annis 1916–1919 una cum R. P. Lud. Van den Bossche ultra 30 stationes, inter lacum Manitoba et lacum Winnipeg sitas, administrabat. Relicto autem hospitio *Komarno* in *Ituna* sedem stabilem condidit.

Restat commemoranda alia defuncti confratris gloria, scilicet quod Ucrainis Canadensibus etiam proprium Episcopum procuravit. Iam a. 1909 hic vir late prospectans, rogatus a Delegato Apostolico Sbarretti, pro concilio nationali illius anni hunc in finem suum *Mémoire sur les Ruthènes du Nord-Ouest Canadien* exaraverat. Eandem rem commendavit variis Praesulibus illius regionis, quinimmo d. 12 Maii 1912 etiam Summo Pontifici Pio X in Audientia privata, et iam d. 15 Iulii eiusdem anni primus Ucrainorum Canadensium Ordinarius nominatus est, Exc̄m̄ Nicetas Budka. Qui quidem d. 6 Oct. 1924 Patri Delaere, 25 annos apostolatus Canadensis complenti, litteras dedit pulcherrimas, unde integri populi Ucrainici gratus erga tam insignem benefactorem animus clare elucet.

Per 23 annos continuos P. Delaere Superior fuit, videlicet in *Yorkton* ad S. Gerardi 1905–1913, ibidem ad B. M. V. de Perp. Succ. 1913–1916 et 1921–1924; in *Komarno* 1916–1919; in *Ituna* 1919–1921 et 1921–1928. Annis 1919–1927 simul toti Vice-Provinciae Canadensi ritus orientalis, utique minusculae, praefuit.

A mense Augusto 1930 ad Decembrem 1931 in Europa (in Belgio et Romae et praesertim Stanislao poli in Galicia) commoratus est. Illo tempore agebatur de separatione duarum domuum Canadensium ritus orientalis a Provincia Torontina, cui per triennium (1928–1931) aggregatae fuerant, et de earum unione cum Vice-Provincia Europae eiusdem ritus.

<sup>1</sup> *Analecta* 1939, fasc. 2, p. 70.

<sup>2</sup> L. c., fasc. 3, p. 143.

In Yorkton usque ad obitum erat Consultor vel Admonitor P. Rectoris et fere semper eius Minister.

Quoniam externam defuncti confratris vitam texuimus, nunc internum hominem eiusque mores paululum intueamur. Imprimis in P. Delaere admiramur heroëm apostolicae caritatis, pro animabus divino sanguine redemptis ac derelictis quantalibet sacrificia nihili facientem. Non erat (ita R. D. Sabourin in funebri oratione) e schola eorum qui exstimant fideles debere pastoribus sese adaptare, sed theoretice et practice S. Paulum secutus est omnibus omnia factum.

Ergo genuinus amor proximi Patris Delaere virtus maxime eminens erat, et quodammodo occubuit victima suae caritatis. Rogatus enim a praeaudato sacerdote Sabourin, pristino laborum socio, ut in oppido Saint-Pierre Foly's sancti Patroni sollemnia d. 29 Iunii sua praesentia redderet incundiora, non retinebatur neque aetate provecta neque infirmitate sua, ne petitioni morem gereret. Hinc nata est illa pneumonia, quae dilectum confratrem nobis eripuit.

P. Delaere erat animo sincero et aperto, circumspectione larga, voluntate forti atque constanti. Homo serius, in conversando tamen amabat iocos.

Regularis observantiae studiosissimus, meditatione matutinae semper intererat, etsi usque ad mediam noctem laborasset. In senectute sub praepositis longe iunioribus constitutus, is qui tamdiu Superior fuerat officia dulciae et oboedientiae religiosissime servabat. Invitatus ut in somno et cibo capiendo aliquantulum sibi indulgeret ultra solitum, renuebat constanter omnem a vita communi exceptionem. Novitiatus fervorem servans, nullo die Viam Crucis peragere omittebat.

Sic igitur P. Delaere non modo magni ducis, sed etiam optimi religiosi exempla nobis reliquit. Semper manebit gloria decusque Provinciae Belgicae. Ucrainorum autem populus catholicus in eo amisit columnen et benefactorem singularem in terris, sed laetam fovet spem se in caelis potentem assecutum esse protectorem et advocatum apud Deum.